

www.e-rara.ch

**Asylum languentium seu carduus sanctus, vulgo benedictus, medicina
patrumfamilias polychresta, versusque pauperum thesaurus ...**

Petri von Hartenfels, Georg Christoph

Ienae, MDCLXIX [1669]

ETH-Bibliothek Zürich

Persistent Link: <https://doi.org/10.3931/e-rara-28317>

Caput III. Carduorum differentias & species, hōs en parodō breviter indagat.

www.e-rara.ch

Die Plattform e-rara.ch macht die in Schweizer Bibliotheken vorhandenen Drucke online verfügbar. Das Spektrum reicht von Büchern über Karten bis zu illustrierten Materialien – von den Anfängen des Buchdrucks bis ins 20. Jahrhundert.

e-rara.ch provides online access to rare books available in Swiss libraries. The holdings extend from books and maps to illustrated material – from the beginnings of printing to the 20th century.

e-rara.ch met en ligne des reproductions numériques d'imprimés conservés dans les bibliothèques de Suisse. L'éventail va des livres aux documents iconographiques en passant par les cartes – des débuts de l'imprimerie jusqu'au 20e siècle.

e-rara.ch mette a disposizione in rete le edizioni antiche conservate nelle biblioteche svizzere. La collezione comprende libri, carte geografiche e materiale illustrato che risalgono agli inizi della tipografia fino ad arrivare al XX secolo.

Nutzungsbedingungen Dieses Digitalisat kann kostenfrei heruntergeladen werden. Die Lizenzierungsart und die Nutzungsbedingungen sind individuell zu jedem Dokument in den Titelinformationen angegeben. Für weitere Informationen siehe auch [Link]

Terms of Use This digital copy can be downloaded free of charge. The type of licensing and the terms of use are indicated in the title information for each document individually. For further information please refer to the terms of use on [Link]

Conditions d'utilisation Ce document numérique peut être téléchargé gratuitement. Son statut juridique et ses conditions d'utilisation sont précisés dans sa notice détaillée. Pour de plus amples informations, voir [Link]

Condizioni di utilizzo Questo documento può essere scaricato gratuitamente. Il tipo di licenza e le condizioni di utilizzo sono indicate nella notizia bibliografica del singolo documento. Per ulteriori informazioni vedi anche [Link]

CAPUT III.

Carduorum differentias & species, ὡς ἐν παρόδῳ breviter indagat.

Familia Carduorum à munifico Naturæ luxu tam liberaliter & profusè aucta est, ut non minus operosum fuerit antiquis, [quorum, ut Plinius *lib. 20.* refert, in describendis carduis diligentissimi fuerunt Chœreas Atheniensis & Glaucias,] omnes eorum nosse differentias, quam parum facile, eos exactè vel describere, vel notis inter se discernere.

Nos, ut Carduibenedicti inter tot alios carduos pateat excellentia, operæ pretium duximus, hec loci, si non omnium, plurimorum tamen Carduorum differentias, tanquam in diverticulo, benevolo Lectori ob oculos ponere; & deinde telam nostram pro instituto κατὰ δύναμιν pertexere.

Carduorum nomine omnes herbæ aculeatæ veniunt. In genere Latini Carduum interpretantur, qui Græcis est κάρδιον. Sunt autem Cardui tam pratenses & palustres, quam arvenses, seu avenarii & vinearum. Sunt & molles, lappæ vel Cirsii capitulo. Hæc refert Jonstonus *Not. Regn. Veg. pag. 234.* Limoniam Theophrasti, Gazæ, beatam silvestrem aculeatis foliis: erisithalem. Pli.

Plinii, tuteò flore, foliis Acanthi: & Ceanothum Theophrasti spinam, cui radix nec arundinosa, nec geniculata.

Frequentissimi Carduorum sunt Acanthium majus, ubique viarum obvium, radice crassâ, foliis magnis ferratis, lanuginosis, & aculeis horrentibus, echinatô capitulô cum staminibus purpureis: Germ. *weisse Wegedistel*: maximi contra hæmoptysin, spalmum & odontalgiam momenti; quô pertinet Acanthium Illyricum seu peregrinum.

Leucacantha secundum Matthiolum ab acanthio differt, radice cyperi validâ & amarâ prædita: quam dolori dentium, laterum doloribus, ischiadicis, ruptis & convulsis mederi scribit.

Acanthus seu branca ursina, Trago spina *καὶ ἀντιόραον*, quia minimè spinosa carduis accensetur, nonnullis *μαρνοπέρα* & *κισσάρα*, & melamphyllum, dicta, Germ. *Bärenklau*/ herba vulgatæ cognitionis & usus, cujus radix suavissimum Podagricis præstat solatium.

Carduus fativus, Scolymus, Cynara, [eò, quod cineribus gaudeat sata & culta] aliàs strobilus, propter capita strobilis similia, Germ. *Artischocken*/ vocabulô, ut Trago apparet, corrupto, à carduô & cocalo derivatô, quasi dicas Cardococalus, vel Carduus Cocalo similis. Nam capitulum ejus, inquit

Fuchsius, stractili nucleorum serie Cocalum,
 vel ut alii loquuntur, nucem pineam referre
 videtur: Hic carduus vescus est, obsonium
 suppeditans suavissimum diureticum, bene
 nutriens & aphrodisiacum: quod tamen re-
 jicitur à Vict. Trincavellio *Conf. l. 1. Conf. 41.*
 qui caput horum esu repleti, flatusque inde
 generari affirmat. Hunc carduum culturæ
 mangonium domitâ feritate ex agris in hor-
 tos venire compulit, nescio quâ gulæ auda-
 ciâ, quæ campestris terræ portenta, & asino-
 rum pabula, in ganeam & luxum vertit, à
 quadrupedibus plerunque neglecta: usque
 adeò ventris ac Veneris desiderijs, ac illece-
 brosis voluptatibus obsonantur epicurei
 homines telluris inutile pondus, ut præclare
 differit Anton. Mizaldus, *in hort. Med. p. 107.*
 Nihilominus hunc carduum sæpè come-
 stum facere, ut masculi concipiantur, statuit
 Petrus Hispanus, *in thesaur. pauper. c. 52.* Ob-
 tinet præterea alios usus, siquidem emendat
 Corporis graveolentiam, & lichenas curat,
 & Nicandri autoritate venenis resistit, ut
 notat G. Bertinus *l. 18. de naturâ medicamen-
 torum.*

Datur etiam silvestris Cynara, spinosissi-
 ma, radice dulci, flore luteo, à Rusticis ad
 lac coagulandum expetita: hûc pertinet
 Eryngium luteum seu scolymus Theo-
 phrasti.

Scolymus silvestris seu Heracantha,
 Germ.

Germ. **Dreuwdistel** / vinum redolet, & copiosè provenit in Bohemiâ, cujus capita lanuginosa feminibus referta sunt.

Scombri Carduus Cretenfium, ascolymbrus Bellonii, Scombrovolus à Cynara non multum abludit, Italis spina borua dicitur.

Carduus Mariæ lacteus, Silybum, leucographus, Germ. **Frauentdistel** / **Veheidistel** / Gall. cardon nostre Dame, herba trivialis, procera, albis notata maculis, sacra pleuriticorum, calculosorum, peste correptorum, & nutricum, quibus lac defecit, anchora. Hujus flores in stranguria solò aspectu militi cuidam profuisse, testis est Plateus de vit.

In carduorum censum non incommodè recensetur Carlina, seu Carolina, ab Angelo contra pestem Carolo Magno commendata, ut scribit Helmon. tract. de tumul. pest. & Jonston. N. R. V., aliàs Chamæleon albus, Germ. **Eberwurz** / foliis & floribus aculeatis insignis, pestis & venenorum antidotus præstantissima est: ab Ericio Cordo Carduus panis & pacis appellatur.

Hûc refertur Chamæleon nig. seu Crocodilium, Germanicè **Welschdistel** / ob nimiam, quâ pollet, exsiccandi & calefaciendi vim vix usuale: hinc quia jumenta anginæ modò necat, *γλόφονον*; quia caninum refert odorem, Cynosoron appellant.

C. Clusius silvestris cujusdam Carlinae

meminit, quæ Germanis dicitur **Klein wild
Eberwurtzel.**

Carduus echinatus, Cordi Sphærocophalus, Germanicè **Spehrdistel** / echinò caruleò pilæ magnitudine insignis est : hujus virtutes nondum satis exploratas silentio involvit Botanicorum chorus.

Carduus lanceolatus, à foliis lanceam referentibus ita dictus, capita obtinet aculeis minoribus obsita, radicem fibrosam, flores fulcos & lanuginosos.

Carduus ferox, seu Phoenix, Leo, Germ. **Löwendistel** / longissimis acutissimisque spinis horrens, floribus luteis insignis, nulum, quantum liquet, adhuc habet usum.

Carduus albus, leucacantha, spina alba, seu Onopordum 2. Germ. **Vebedistel** / cujus radix exsiccans est & adstrictoria. De hoc carduo Avicenna scribit, quod podagræ medeatur & juncturarum morbis.

Carduus Arabicus, Arab. Suchaha, nobis incognitus, secundum Plinium *lib. 24.* spissat & astringit, valet contra destillationes, nimium sanguinis & mensium fluxum.

Judaicus carduus sanguinis sputum sistit : Ægyptiacus febribus diuturnis, ut & venenis adversatur : Arabicum vocant nonnulli silvestrem Cynaram ; ab aliis Donacitis, Spina Regia, & Carduus raptorius appellatur.

Carduo, qui *νεπίον* dicitur, cauliculus tener duorum cubitorum in imo triangulo similis :

milis: folia bovis linguæ, in extremò aculeata, in cacumine capitula purpurea, quæ in lanugines solvuntur.

Carduus tomentosus, onogyros fortè Nicandri, Angliæ collibus frequens, radicem obtinet perforatæ similem, foris fuscam, intus albam, gustui gratam, diureticam.

Carduus bulbosus, radicibus Cyperum æmulans, glutinosus, montis Pelii accola, tenuium est partium & non nihil calefacit.

Carduus pratensis, omnium Carduorum tenerrimus, Germ. *Wiesentöhl / Wiesenswolle / Trag.* Helvetiæ & Germaniæ pratis familiaris, brancam ursinam foliis imitatur, & nonnullis in locis inter esculentas herbas locum invenit.

Carduus stellatus, Germ. *Sternoder Kadendistel /* duorum est generum: primus flores fuscus, & semen habet omnium Carduorum minimum: Secundus flores albos obtinet, priori quoad reliqua non dissimilis. Aqua ex hoc carduo destillata secundum Baptistam Sardum lue Venereâ infectis confert.

Carduus solstitialis, arvensis, solstitiò exaetiò exarescens, Germ. *Haberdistel / Ackerdistel /* inter segetes tantâ feracitate luxuriat, ut earum incremento non parum officiat, & messorum manus pedesque sapissimè vulneret. Ejusmodi Carduos Plin. *Hist. Nat. l. 18.* potius inter frugum morbos, quam

quàm ipsius terræ pestes numerat. Ad tineas, lichenas & scrophulas valere creditur.

Carduus Veneris seu Carduus fullonum, Germ. **Kartendistel** / aliàs dipsacus fitibundus, labrum & lavacrum Veneris, ut & virga Pastoris internis usibus rarò inservit. Ex medullâ hujus Cardui maturescents vermiculus nascitur, certum contra quartanam remedium, ut notat Jul. Cæs. Scalig. *exerc. 59.* è Dioscor. & Senn. hypomn. Phys. p. 484. Eundem vermiculum commendat Marcellus *lib. de med. contra dolorem dentium.* Radicis decoctum rhagades & fistulas ani, ut & verrucas tollit.

Hûc pertinet Galodragon Xenocratis, spinosum & palustre, capite ovo simili, in quo crescente æstate vermiculos nasci tradunt.

Carduus omnium spinosissimus, seu Polyacantha, Germ. **Klein Wegedistel** / puniceo & purpureo flore insignis, & densâ spinarum phalange circumvallatus est: planta rari usus: à nonnullis *ὀνόπυξ* vocatur, seu buxus asininus, quia gratissimum asinis pabulum suppeditat.

Cardui omnium minimi, [qui ideò Carduncellus dicitur] in Narbonensi agro ad lupum montem nascentis, usus incognitus, quia planta vix nota.

Melocarduus echinatus omnium Carduorum

rum rarissimus, Indiæ occidentali suos natalis debens, Naturæ quidam quasi cinnus est secundum Lobelium, ex peponis, melone, & carduo coalescens.

Carduis non inconcinnè assignatur à Tragô Ononis, resta bovis seu aratri remora, spinis horrida, Germ. *Zauhechel* / cujus radix & cortex calculosis infigne suppeditat levamen.

Cnicus sativus officinarum seu *Carthamus* folia obtinet brevibus spinulis crenata, angustâ cervice ramulis adhærentia, capita inter folia squamata, florem croceum, rarius albidum, Græcis *νεραν*, aliis crocus campestris & Saracenicus. Hujus seminis medulla phlegmagoga est, & ad purgandum expetitur.

Euphorbium à Juba Rege Medici sui nomine insignitum spectatur foliis acanthinis. Vis ejus tanta est, ut è longinquo succus, qui euphorbium dicitur, excipiatur, de quo Vid. *Jonston. not. regn. veg. p. 243.*

Drupis, *δρυπίς*, spina umbella est, foliis vidualia, vulnerans aculeis attrectantes, unde nomen.

Non incommodè inter carduos refertur Eryngium, iringus, German. *Mannstreu* oder *Brachendistel* / cujus alteram speciem Clusius carduum muricatum; Dodonæus stellatum vocat. Hujus radix vel condita, vel aliò quòvis modò usurpata asthmaticis,

ticis, nephriticis, & imbellibus in bello Venetianis bellatoribus apprimè commendatum.

Tragacantha, hirci spina, Germ. **Bochsdorn**/hûc pertinet, planta spinosa, è radice & cortice vulneratis gummi exsistens, suâ sponte lachrymarum instar consistens, usus notissimi, oculis, faucibus exasperatis, & multis aliis usibus destinatum medicamentum.

Tragon, Germ. **Scorpionkraut** / **Meerstachelkraut** / foliis maximè spinosis secardum esse testatur, baccas fert rubicundas, semine prægnantes.

Acarna Theophrasti & Walerandi carduus est Germaniæ ignotus, cujus mentionem facit Lobelius, in suis observationibus locò cit. Sunt, qui acarnam laurum esse scribunt, inter quos Jonstonus, *not. regn. veg. p. 236.*

Poterion, aliis phrynon, Cardui species est, quæ hodie plerosque latet: vestitur totum multâ & tenui lanugine, quam ostendit in ramulis, tam minimis quam maximis. Semen fert odoratum, sed inutile secundum Cordum: siccat & adstringit. Gummi, quod ex vulneratâ exsudat radice haustum, phthiſicis subvenit. Radix nervis præcis confert, quod etiam decoctum ejus præstat.

Dantur adhûc plura Carduorum genera, ex. gr. Carduus Aræophyllos Dalecamp.

Con-

Condrylloides ejusdem : eriocephalus Clusii & similes.

L. Apulejus Madaurensis in suâ de virtutibus herbarum historiâ plurimorum carduorum mentionē facit, videlicet: Chrysisceptri, ixiæ, pâcratii, ulophini, cynomazi, cynozoli, ocimoidis, Cardui nigri, vernilaginis, ustilaginis, & sim. Theophrastus Paracelsus cardui angelici meminit, cujus radicem à viatore, portatam reliquis simul peregrinantibus omne robur auferre scribit. Fortè Carlinam intelligit.

Hier. Cardanus l. 13. de subtilitate, carduum describit Indicum, Cerium vocatum, tantæ magnitudinis, ut lanceas æquet, cujus fructus jucundus, ruber, granis plenus. hucem non excedit. Alterius etiam cardui mentionem facit, quem Tuna vocat, cujus fructum citra periculum sanguinem cum urina educere, nec parvam ventriculo utilitatem asferre scribit.

Spina murina seu Corruca tertia C. Clusii non incommodè carduis accensetur.

Enumeratos hos carduos multis anteit parasangis si virtutem & efficaciam spectes,

CARDUUS BENEDICTUS, reliquorum Carduorum antesignanus, hortorum gloria & decus, graviumque morborum excorsu, pro quo munere sit in ævum benedictus Creator altissimus.

Differre autem videtur & noster carduus ratio-

ratione natalis soli: est enim hortensis, qui passim in hortis colitur: & pratensis, cujus meminif Petrus de Crescentiis *lib. 10. c. 4.* de quo cap. seq.

Greg. Horstius *lib. 1. f. 6. c. 12. de plant. Augusti* duas carduibenedicti species facit: unam magis aculeatam, & in altum assurgentem, rariorem, & in officinis inusitatam: alteram minus aculeatam, & humiliorem, non tantum apud Medicos doctos, sed etiam in domesticis remediis usitatissimam, quam hic intellectam volumus.

CAPUT IV.

Carduibenedicti locum natalem, & tempus, quò crescit, floret & adolescit, exhibet.

Genitale solum, ubi incrementa sumat Carduus benedictus, sibi elegit in cultissimis hortorum viridariis, dignò videlicet tantò hospite diversoriò: quamvis Bellonius scribat, in Insula Lemno Carduum hunc suâ sponte in arvis copiosè provenire.

Inquinus nostrarum Regionum Carduus benedictus est, verum, ut fama est, ex remotissimis terrarum locis primitus ad nos allatus, ut notat D. Nicol. Agerius *pharmasop. reformat. part. 1. p. m. 34.*

Indiarum indigenam esse Carduum benedi-